DE

LIBERO ARBITRIO THESES THEOLOGICÆ.

DE QVIBVS IN CHRIstiana & sobria συζητήσει disputabitur volente Domino.

Ad. d. VI. Maij.

PRÆSIDE D. AND. MELVINO,
Academię Andreanę Rectore & SS. Theologiæ *Professore.*

Respondente J. Massonio Gallo.

EDINBVRGI
EXCVDEBAT ROBERTVS WALDEgrave *Typographus Regius.* 1597.

Cum Privilegio Regali.

Theſes Theologicæ de libero Arbitrio.

Theſis I

Roprietas voluntatis omnis tum creatæ tum increatæ, eſt vt quicquid vult, illud ſpõtè velit, id eſt, nulla vi externa coacta: Et hæc eſt libertas voluntatis.

II

De voluntatis libertate quæ eſt in Deo, hoc tantum dicimus, eam ſolam eſſe ex ſe [a] αὐτεξούσιον, [b] *immutabilem,* [c] *ad bonum tantum neceſſariò liberrimam, et eo modo conſiderandam, qui toto genere differat a creaturis.* [a] *Dan.4.35. Pſal.115.3.2 Chron.20.6. Iſay.46.10.* [b] *Num.23.23. Mal.3.6.* [c] *Iacob.1.13.*

III

Libera voluntas in creaturis ita conſideranda eſt, non quod a nulla ſuperiore potentia pendeat, ſed quod, quicquid vult, licet aliunde acta, illud ſpontè non coactè velit, quamuis neceſſariò.

IV

Antequam Creaturæ voluntas agat, præit illi mentis et rationis iudicium, idque tum in Angelis, tum in hominibus, licet in illis pro ratione excellentiæ ſui intellectus, aliter quam in his.

V

Et in hominibus quidẽ (Nam de Angelis parcius) præit mens voluntati, vel intellectu ſimplici, quando in obiecto nihil incidit dubij, vel præit cum diſcurſu et διανοίᾳ.

VI

Præit cum diſcurſu, quando in rebus dubijs & multiplicibus mens cum ratione deliberat, & expendit quæ optima ſunt vel videntur, quam διανοίαν *ſequitur voluntas.*

VII

Et quidem ſi obiectorum ſit intellectus certa dijudicatio, ſequi-

sequitur in electione vel reiectione: Si vero ampliatum sit mentis iudicium, sequitur in suspensione actionis suæ, idque semper, nisi quòd in corrupto homine aliquãdo præcurrat mentis actioni, aliquando nec Iudicium illius sequatur.

VIII

Ex hac vtráque mentis & voluntatis actione nomen factum est LIBERI ARBITRII. *Arbitrium, ex actione voluntatis cum Intellectu coniuncta: liberum, ex eo quod voluntas liberè & sine coactione, quæ proponũtur obiecta, vel amplectatur vel reiiciat.*

IX

Est ergo liberum hominis Arbitrium, facultas quâ voluntas humana post mentis iudicium, obiectum sponte vel eligit vel reiicit, vel suspendit vtrumque.

X

Obiectum autem omne, quod sub voluntatem siue Angelicam siue humanam cadere potest, est bonum aut malum: Nam ἀδιάφορα, *cum veniunt sub voluntatem, boni vel mali rationem induunt.*

XI

Ad vtrumque horum obiectorum libertas voluntatis tum Angelicæ tum humanæ mutabilis creata fuit, idque pro ratione legis bonæ, vel malæ, à qua agitur hoc aut illo tempore.

XII

Legem voco, qualitatem aduentitiam voluntati tum Angelicæ, tum humanæ; quæ duplex est, [a] *Boni, & mali:* [b] *Illa sanctitatis, quæ est ad imaginem Dei, & hæc veræ libertatis lex est:* [c] *hæc impuritatis, quæ est ad imaginem Diaboli, & hæc est lex seruitutis.* [a] *Rom.7.23.25.* [b] *Col.3.10.Eph.4.23.24.* [c] *1 Iohan.3.8.10.Iohan.8.44.2 Tym.2.26.*

XIII

Sanctitatem enim hanc et impuritatem, qualitates tantum esse aduentitias non essentiales neq; in Angelo, neq; in homine, id ostendit, quòd illis seu præsentibus seu absentibus, neuter sit magis minusve aut homo aut Angelus.

XIIII

Lex iſta variata conſideranda eſt in hominibus et in Angelis, in ſtatu vario.

XV

Et in Angelis quidem tum bonis tum malis eadem in ſtatu creationis: Varia autem, in illis vt iam confirmati ſunt: In his verò vt ſunt corrupti.

XVI

Lex voluntatis omnium Angelorum in ſtatu creationis fuit ſanctitas, qua, adſiſtente Dei gratia, tantum bonum velle poterant, Illa autem deſerente, falſa raciocinatione decepti poterant deficere, & malum etiam velle: quod [a] *alij fecerunt, alij non.* [a] *2. Petr. 2. 4. Iud. 6.*

XVII

Qui malum non ſunt amplexi, ij in ſua ſanctitate à Deo ſunt confirmati ita vt non poſſint iam, per eam quin velint benè & ſanctè omnia.

XVIII

Qui autem deſciuerunt ad malum, ſanctitatem illam creationis, prorſus in ſe obliterarunt, ſeque ita corruperunt, vt per impuritatem quam induxerunt in ſingulas ſui partes, non poſſint non malè velle, etſi ſpontè. Ioan. 8. 44. 1 Iohn. 3. 8.

XIX

Voluntatis lex in hominibus variata, conſideranda eſt in ſtatu quadruplici: Primus eſt creationis, Secũdus corruptionis, Tertius regenerationis, Quartus glorificationis.

XX

Creationis ſtatus eſt is, in quo homo creatus fuit [a] *ad imaginem ipſius Dei,* [b] *quæ ſita erat in integritate & ſanctitate tum intellectus tum voluntatis, & reliquarum partium.* [a] *Gen. 1. 26. 5. 1. 9. 6. Act, 17 28.* [b] *Col. 3. 10.*

XXI

In hoc ſtatu cùm voluntatis lex fuerit illa cæleſtis ſanctitas ita fuit in ordinem adducta, vt homo per illam ſanctitatem ſuſtentante Dei gratia tantùm bonum velle poſſet: Deſerente autem

tem & sibi hominem permittente posset impotentia sua admalum deficere.

XXII

Volebat autem tum homo & bona spiritualia quæ ad vitam æternam erant necessaria, & moralia vt virtutes, reliqueque in se ἀδιαφορας sancto modo: idque quamdiu sanctitas illa à Deo suffulta præsidebat voluntati.

XXIII

Erat igitur ea conditio voluntatis sanctæ in hoc statu, vt esset mutabilis: quia sub aliqua boni specie, malum velle poterat. [a] *Mutatio autem illa facta est in lapsu primorum parentum, quo integritatem corruptione commutarunt* [a] *Gen.3.6*

XXIIII

Corruptionis status est is, in quem homo sponte nulla coactione foris allata, se a Deo auertens, [a] *& auscultans Diabolo ,* [b] *præcipitauit sese, & posteros omnes ad exitium,* [c] *imaginemque illam Dei in se obliterauit.* [a] *Gen 3.6. 2 Corin.4.4.* [b] *Rom.5.12.15.16.* [c] *Rom.3.23.*

XXV

In hac Corruptione, [a] *cùm sanctitas prorsus amissa sit,* [b] *sequitur donis supernaturalibus hominem omnino spoliatum esse, fide, iustitia, amore Dei, charitate, cæterisque, quibus in spem vitæ æternæ erat instructus ,* [c] *& hæc est vera illa nuditas quam lapsi parentes in se deprehenderunt.* [a] *Ephē.4. 18.et 2.1.Rom.3.23.* [b] *Mat.6.22.Luc.11.34.* [c] *Gen.3.7.*

XXVI

Atque his ita priuatus est homo, [a] *vt neque intellectu possit illa comprehēdere, aut capere* [b] *ante nouam lucem,* [c] *neque probare,* [d] *aut velle, quin ab illis abhorret maximè,* [e] *vt cui sint mera stultitia.* [a] *1 Corin.2.14. 2 Corin. 3.5. & 4.4.* [b] *Iohan.6.24. & 3.3.* [c] *Iohan.3.19.* [d] *Philip.2.13.* [e] *1 Corin.1.18.23.*

XXVII

Fallunt ergò qui lapsu læsas tantum istas qualitates dicunt, & remansisse asserunt in natura etiam corrupta , sopitas

scilicet,

scilicet, & debilitatas seu semimortuas.

XXVIII

In hoc vitæ statu [a] *cum voluntatis lex sit impuritas,* [b] *homo tantùm malum velle potest, quia vel illud tantum approbat quod in se malum est, vel si etiam in se bona probet aut velit,* [c] *non vult aut probat quâ bona sunt.* [a] *Rom.7. 23.* [b] *Rom.8.7. Mat.7.18. Gen.6.5. & 8.21.2 Corin.3.5. Rom.7.5. Ierem.13.23. Eph.2.3.5.* [c] *Rom.8.7.*

XXIX

Naturalia enim & ea quæ moralia vocantur bona velle quidem potest corruptus homo, & in illis non rarò proficit: verum neque quâ bona sunt, ea velle potest, neque quà vult, bona esse possunt, quia [a] *neque eo modo,* [b] *neque eo fine quo debet, ea vult aut potest velle.* [a] *Rom.14.23. Hebr.11.6.* [b] *1 Corint.10.31. Col.3.17.*

XXX

Modus enim & finis actionis prout est bonus aut malus, tum in his quæ in se bona sunt, tum etiam multo magis in ijs quæ sunt ἀδιάφορα, *actionem ipsam faciunt aut bonam aut malam. Rom.14.20. Tit.1.15. 1.Cor.8.12. & 10.23.*

XXXI.

Status Regenerationis est in quo homo iam [a] *ex Dei gratia vocatus,* [b] *in imaginem Dei, sensim transformatur,* (c) *dum novam ac cœlestem lucem in mente prius obtenebrata recipit:* (d) *In voluntate perversa, & a Deo prorsus aversa, rectitudinem: denique in omnibus affectibus, novam sanctitatem,* (e) *idque ad maiorem quàm in creatione mensuram, ex quibus* (f) *novus homo,* (g) *& nova creatura vocatur.* (a) *Gal.1.15. 2.Tim.1.9.* (b) *2.Cor.3.18. Col.3.10. Ephes. 4. 23. 24.* (c) *Act.16.14. Ephes.1.17.18. & 5.8. 2.Cor.4.6.* (d) *Col.1.21.* (e) *Eph.3.18.19. 1.Cor.2.9.10. & 15.49.* (f) *Eph. 4.24. & passim.* (g) *2.Cor.5.17. Gal.6.15.*

XXXII.

In opere Regenerationis & Conversionis nostræ duplex

Dei

Dei gratia, seu Spiritus operatio consideranda est, quæ etsi tempore simul utraque sit, tamen vt causa effectu, altera prior est, altera posterior. XXXIII.

Prima est qua in nobis antè à Deo alienis creat nouas istas sanctas qualitates: (a) *Creari enim illas dicimus à gratia Dei,* (b) *qua in quibus libitum est operatur per spiritum suum, In cuius prima hac operatione nos habemus merè παθητικῶς licet non ut trunci aut stipites* (a) *Eph.2.10. Iacob.1.18.* (b) *1.Corin. 12.11. Eph.4.7.* XXXIIII

Errant ergo qui primam hanc gratiam non creationem nouarum qualitatum esse dicunt, sed exsuscitationem tantùm libertatis, quam vocant, arbitrij, in homine corrupto sepultæ, cui etiam in primo hoc conversionis opere, cooperationem tribuunt, ut gratiam præuenientem vel admittat vel reijciat.

XXXV.

Secunda spiritus S. operatio in nobis est ipsa conuersio nostri ad Deum, hoc est, actio promanans a noua creatura, tum mentis in cognoscendo Deum in Christo, tum voluntatis in amplectendo Deum in Christo. Porrò in hac iam nos non merè παθητικῶς habemus, (a) *sed spiritui principali agenti cooperantes acti agimus,* (b) *vnde in hoc statu, quod est spiritus maxime, nobis in Scriptura nō rarò attribuitur.* (a) *Ier,31.18. Rom.8.26. 1.Cor. 15.10.* (b) *Col.3.5. Eph.6.11. Phil.2.12. 2.Tim.2.21. 1.Ioh. 5.18.* XXXVI.

Iterùm ergò hic errant qui secundam hanc gratiam, Actionem esse dicunt liberi arbitrij, qua nos præparamus et disponimus ad gratiam quam vocant Iustificantem, vbi Libertatem arbitrij, principalem agentem statuunt, dei gratiam subsequentem. XXXVII.

In hoc statu Regenerationis, libertas arbitrij est certo modo partim ad bona et sancta; partim ad mala, prout voluntas à duplici lege acta est, et sanctitatis et impuritatis, hoc et illo tempore. XXXVIII.

Libertas hæc ad vtrumque, bonum et malum (a) *tantum*

ex parte est, prout sanctitas et impuritas in voluntate sunt tantum ex parte: (b) *In homine enim regenito reliquiæ quædam sunt impuritatis quandiu hic in terris versatur,* (c) *vt & inchoata tantum est illa sanctitas renouationis.* (a) *2.Cor.13.9. 12. 2.Cor.4.16.* (b) *Rom.7.18.& deinceps* (c) *1.Iohan.3.2. Apocal.22.11.*

XXXIX

Differt libertas hæc ad bonum in statu Regenerationis, à libertate in statu creationis, quòd illa non ita confirmata fuit quin deperdi potuerit (a) *& deperdita sic quoque: hæc & in hac vita perpetuabitur, et ita confirmabitur in futura in electis dei, vt nunquam immutanda sit.* (a) *Col.3.3.Phil.1.6.1.Cor.1.8.*

XL.

Quartus status est Glorificationis, in quo hominis Regeneratio, & vita Dei perficitur: In hoc non poterit vllo modo malum velle, quia Lex illa sanctitatis, voluntati præsidebit in æternum, & in hoc similis erit Angelis. Mat,22.30.1.Iohan.3.2.

XLI.

Differt libertas in hoc statu, à libertate in statu creationis, quòd etsi illa esset ad bonum, tamen erat mutabilis, (a) *hæc ita a Deo confirmabitur vt à bono deflectere sit impossibile.*

XLII.

Differt à libertate in statu Regenerationis quòd illa inchoata tantum est & imperfecta, propter corruptionis reliquias, quæ in hac vita penitus non abolentur, Illa erit perfectissima cùm Deus erit omnia in omnibus. Cui cum Filio & Spiritu Sancto sit Laus, honor, & gloria in æternum.

FINIS.